



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KAGIENSIS-BANDORENSIS** IN AFRICA MEDIA  
NOVA CONDITUR DIOECESIS KAGIENSIS-BANDORENSIS

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Africa Media eiusque regimini facilius et efficacius consulendum antea esset petatum ut, divisa Banguensi archidioecesi, nova ibidem circumscriptio ecclesiastica constitueretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Didaci Causero, Archiepiscopi titulo Metensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate haec decernimus. A Banguensi archidioecesi separamus territorium Praefectarum civilium quae patrio sermone nuncupantur Ibingui-Economique; Bamingui-Bangoran et Gribingui-Economique; ex eoque novam constituimus dioecesim Kagiensem-Bandorensis, quam ipsi metropolitanae Ecclesiae Banguensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi memoratarum Praefectarum civilium. Praeterea iubemus Episcopi cathedram collocari in templo Sanctae Teresiae a Iesu Infante in urbe « Kaga-Bandoro » exstante; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescriptis perducet ad exitum Venerabilis Frater Didacus Causero, quem diximus, qui re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO Secretarius Status	IOSEPHUS card. TOMKO Congr. pro Gentium Evang. Praef.
--	--

\*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 11, pp. 748-749

© Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana